

dem ab *Hugenio*, duo extremi autem à *Job. Dominico Caspino*:  
 quorum is, qui proximè lateri ejus adhæret, quinque propemo-  
 modum dierum spatio orbitam suam absolvit, medius sedecim,  
 supremus octoginta. *Jovis* vultum jam ab annis triginta & am-  
 pliùs obscurioribus quibusdam Zonulis sive striis prætexi obser-  
 vârunť *Zupus*, *Bartolus*, *Grimaldus*, aliiqve. Confirmavit inter  
 alios postea Joviales illas fascias Nobilissimus *Hugenius*, sed ne-  
 mo accuratiùs ejus faciem nobis depinxit, quàm sæpe laudatus  
*Hookius*. Jam pridem autem *Galileus*, Belgicum suum tubum  
 in Jovem dirigens, anno hujus seculi decimo, quatuor ejus co-  
 mites detexit, in honorem Serenissimæ familiæ *Medicæ*, *Medi-*  
 36. *cæa sidera* ab ipso nuncupatos; (36.) quorum motus, Eclipses, a-  
 liaq; phænomena tam certò jam determinata sunt, ut prædici in  
 37. futurum queant. (37.) In ipso autem *Jovis* disco *Josephus Cam-*  
*panus* plurimas prominentias, sive inæqualitates observavit; de-  
 inde præter ipsum *Caspinus*, egregiis telescopiis à *Campano* fabri-  
 catis, umbras satellitum in ipsius discum projectas animadvertit:  
 imò ipsa quoq; Satellitum corpora, intra *Jovis* discum quasi ab  
 ortu occasum versus promota distinxit, eademq; phænomena  
 non tantùm quoad diem, sed & quoad horam in futurum prædi-  
 cere ausus est, quarum prædictionum aliquæ non modò in Ita-  
 liâ, sed & in Hollandiâ Galliaqve ab Astronomis Celeberrimis  
 verissimæ deprehensæ sunt. Quemadmodum autem *Hookius*  
 umbram satellitis cujusdam sub maculæ rotundæ forma in fa-  
 cie *Jovis* conspexit, ita *Caspinus* maculam aliam constantem,  
 ipsi *Jovis* corpori in hærentem, deprehendit. *Martis* gibbosa  
 figura, jam anno seculi hujus 38. Romæ observata est. An-  
 notavit eam quoqve solertissimus *Gassendus*; maculas autem  
 ejus innumeris observationibus comprobant recentissimi ob-  
 servatores. Neqve tamen una eademqve semper, sed alia alia-  
 qve successivè *Martis* facies apparet: siquidem maculæ, quæ  
 nunc ad orientalem marginem conspicuæ sunt, paulatim ad di-  
 sci medium, ac porrò ad marginem occidentalem provehuntur,  
 ibi-